

in festo omnium Sanctorum, in festo Sancti Titularis Ecclesiae et Patroni, in die anniversario Dedicationis Cathedralis Ecclesiae vel etiam arbitrio suo in aliis festiuitatibus per annum, quandocumque ei placuerit, cum Caeremoniis et solemnitatibus, ac etiam cum Vesperis solemn. in vigilia seu die, quae festum praecedit, excepto Sabbato Sancto, quo die esperae non dicuntur, nisi mane in fine Missae, et vigilia Annunciationis Beatae Mariae, si venerit in Quadragesima die feriato; *quo casu Vesperae non celebrantur in vigilia, sed tantum in die finita Missa*: et tunc, ne ista Solemnitas sine Vesperis solemnibus transeat, poterit Episcopus, depositis Missae indumentis, accipere pluviale et celebrare Vesperas, Canonicis paratis remanentibus. *Sed si hoc festum venerit Feria secunda in Quadragesima, potuerunt Vesperae solennes in Dominica praecedenti celebrari.* In aliis autem festiuitatibus, videlicet: in nocte Nativitatis Domini, s. Stephani, s. Jo. Evang., circumcissionis Domini, feria secunda et tertia Paschae, Dominica in albis, Dominica ss. Trinitatis, in festo s. Joannis Bapt., in festo Nativitatis B. M. V., in aliquibus principalibus festiuitatibus Ecclesiae Cathedralis et pro aliqua re gravi ad universalem vel propriam Ecclesiam spectante, vel alias quandocumque Episcopo placuerit, poterit paratus cum pluviali et mitra assistere Missae per aliquem Praelatum, Dignitatem seu Canonicum celebrandae.

Caer. Ep. l. II. c. XXXIV. n. 4.

b) In sua Dioecesi.

Pontificalia exercens Episcopus in Ecclesiis regularium baldachinum erigere potest. S. Cong. Episc. et Reg. die 10. Jun. 1603.

Pontificalia exercens Episcopus extra Cathedralis non Presbyteros simpli-

ces sed Canonicos Cathedrales inser-vientes adhibere debet. S. C. R. die 2. Augustii 1631 penes Alden. lib. 2. tit. 8. n. 16.

c) In locis exemptis suae Dioecesis.

Pontificalia exercere et pontificaliter celebrare de Jure potest Episcopus in locis exemptis suae dioecesis. S. C. R. in Ferrarien. 20. Jun. 1600.

d) In aliena dioecesi.

Pontificalia exercens Episcopus in aliena dioecesi de ordinarii loci expressa licentia potest ordines conferre etiam suis propriis dioecesis, non obstante Conc. c. 5. sess. 6. de reform. Sac. Congr. Concil., de qua Sell. c. 21. n. 5.

Pontificalia exercere non potest alienus Episcopus de licentia Patriarchae in dioecesi alicujus Episcopi Suffraganei sine ipsius licentia. Sac. Cong. Concil. apud Barbosam in summa ap. dict. verb.: Pontificalia n. 8.

e) In locis exempt. alienae Dioecesis.

Pontificalia exercere in loco exemplo et Jurisdictionis non Episcopi sed inferioris non potest Episcopus vocatus etiam ab ipso inferiore sine licentia Episcopi, intra cujus dioecesis fines esset locus ille, etiamsi ille inferior praetenderet ratione exemptionis vocare Episcopum, quem maluerit, ad administrandum Sacramentum Confirmationis; dummodo locus ipsius exempti sit intra fines dioecesis alicujus, ita ut non sit nullius, quia tunc posset. Sac. Cong. Conc. Cujus meminit Armend. in add. ad recop. Leg. Navarrae, l. 1. lit. 18. l. 7. de Episc. n. 68., apud Barbosum in summ. Apost. dec. verb.: Pontificalia n. 7.

f) In qua Ecclesia peragere debeat Episcopus Dioecesis unitarum?

Ad dubium: An ab Episcopo peragenda sint in civitate Tuscanen. Pontificalia, Ordinat. et Consecrationes ss. Oleorum saltem alternative?

S. C. C. resp.: Arbitrio et prudentiae Episcopi et ad mentem, et mens est, quod scribatur Episcopo, decere interdum aliquas functiones pontif. peragere in Cath. Tuscanensi.

Die 11. Jan. 1783 ad 3. *Viterbien. et Tuscan.*

5) Episcopi Ordinis Militaris.

Episcopus et Praepositus Militiae s. Georgii M. in Bavaria Pontificalia exercere solummodo possunt in Ecclesia in Aedibus Ducalibus et Electoralibus sita et Militum Equitum dicti Ordinis Conventui assignata et exempta atque immuni ab omni Ordinarii Episcopi loci Jurisdictione. In quibuscumque autem aliis Ecclesiis nullo pacto nisi de Ordinarii locorum permissu, toties quoties occasio postulerit, sub poenis juxta canonicas sanctiones inflicti exercere valent. Bened. XIV. tom. 1. Const. 32. incip.: Militares §. 6.

6) Episcopi ut Suffraganei.

Pontificalia exercere non potest Suffraganeus datus Episcopo post illius mortem Sede vacante, Capitulo contradicente. Sac. Cong. Conc. in Vilnen. 22. Febr. 1631 referente Sellio in Selectis Canon. c. 22. n. 3.

PORTA S. APERIENDA.

Vd.: *Decreta S. R. C. ed. Gardellini* n. 1614 die 4. Decb. 1649; n. 3541 die 3. Octbr. 1699; n. 3542 die 21. Novb. 1699. *De Portis s. 4 Basilicarum aperiendis pro Jubilaeo 1750 habito*, vd.: *Constit. Bened. XIV.* de anno 1749 (Bull. r. t. XVIII. p. 147). *De claudendis dictis portis* vd.: *ibid.* p. 152.

PORTATILE.

1) Consecratio plurium Portatilium.

Vd.: *Consecratio altarium plurium* (modus; decr. n. 4565).

2) Execratio.

Vd.: *Consecratio altaris execrati* (decr. n. 4562 nota.).

3) Missa super eo post consecrationem peractam.

Vd.: *Consecratio alt. plur.* (modus; decr. n. 4565 ad 6.).

4) Ponendum in altari execrato.

Vd.: *Consecratio altaris execrati* (decr. n. 4636.).

5) Profanatum.

Portatile profanatum potuisse Canonicos illud vendere et emptorem posse illud in loco tamen decenti et honesto tenere tuta conscientia. n. 311 die 9. Maii 1606.

6) Protonotariorum.

Vd.: *Protonot. apost.* (privileg., decr. Pii IX.).

7) Usus.

Vd.: *Altare portat.* (Usus); *Missa* (in altari etc., decr. Bened. XIV.).

Gregorius PP. XIII.

Usus altaris viatici *Societati Jesu* a fel. record. Paulo III. concessum, deinde a Concilio Trident. universe sublatum, *eidem* eatenus restitutum, ut inter missiones presbyteri *Societatis*, servata alias forma dictae concessionis, Missae sacrificium licite valeant celebrare super hujusmodi altari ubique gentium etiam in castris militum, modo loca, et si communia et profana, tuta et honesta sint et Generalis aut per eum Provinciales eo tum utendum fore judicaverint. Itidemque pos-

guendas gravissimas lites ... et Canonici et Dignitates successores ligantur concordia inita per antecessores, *quamvis confirmatio Papae non intervenit*. Quod etiam firmavit Rota in Consentina praecedentiae 6. Junii 1618 coram Dunogetto, praesertim si fuerit longo tempore observata, ut in specie concordiae observatae per spatium viginti trium annorum tradit Rota decis. 88. n. 5. et seqq. p. 6. recent. Per observantiam enim inducitur approbatio ... ex qua vel dicitur praescriptum jus alterius vel saltem per spatium decem annorum inducta consuetudo, Rot. in *Cordubensi* decis. 28. Jun. 1628 coram Ubaldo ... Cui concordiae per quaecumque Rescripta non censetur unquam derogatum, nisi de ea fiat specifica mentio.

Si quae Controversiae de praecedentia forte abortae fuerint, ad Episcopum spectare eas dirimere statuit Tridentinum per haec verba: „Controversias omnes de praecedentia, quae persaepe cum scandalo oriuntur, inter ecclesiasticas personas, tam saeculares quam regulares, cum in processibus publicis, tum in iis, quae fiunt in tumultu defunctorum corporibus ... Episcopus amota omni appellatione et non obstantibus quibuscumque componat.“ *Sess. 25. de Regular. cap. 13.*

Haec advertendum, quod Sac. Cong. Conc. (Teste Campanili in divers. Jur. Can. Rubr. 12. cap. 13. n. 122.) vigore harum claus. amota appellatione et non obstantibus quibuscumque declaravit, in his causis debere Episcopum procedere brevi manu, summarie et de plano ac sine strepitu et figura iudicii. Nec vigore dictae clausulae amota appellatione censetur sublata appellatio quoad effectum devolutivum, sed tantum quoad effectum suspensivum.

Sic *Ventriglia Prax. For. Eccles. tom. 1. annotat. 12. n. 14.*

3) Inter Episcopos.

Vd.: *Episcop.* (praeced.); *Pallium* (Jus non habet Episcopus pallio decoratus alios Episcopos praecedendi.)

Praecedentia Episcoporum in Conciliis provincialibus statuenda est juxta tempus Ordinationis non autem secundum dignitatem ecclesiarum. Sac. Cong. Conc. die 9. Apr. 1595.

4) Inter Monial.

Vd.: *Moniales* (praeced.).

Pro Monialibus est decretum a Sac. Cong. Conc. in Paduana de anno 1680 apud *Barbos.* in summa apostolic. decis. verb.: *Praecedentia* n. 29., quod scilicet praecedentia inter Moniales a die professionis non autem receptionis habitus regularis debetur; quatenus vero duae insimul professionem emitterent, illa, quae prius admissa fuerit, praecedere debet et si eodem tempore ad habitum admissae fuerint, data etiam professionis paritate, quae prius in capitulo acceptata fuerit, praecedere debet.

5) Inter Novitios.

Vd.: *Processio* (Clerus regul. inter sese.).

6) Parati ante non paratum.

In Ecclesiis Cathedr. Indiarum, ubi praebendae non distinguuntur in Diaconales et Subd. neque adest notabilis numerus Canonicorum, Capellani de choro pluvialibus indui possunt. Ideo dubium: an dicti Capellani ratione paramentorum debeant in choro praecedere Canonicos, Beneficiatos nec non Caudatarium Episcopi?

S. C. resp.: Omnibus scilicet non indutis sacris vestibus. n. 3551 ad 21 die 13. Mart. 1700.

7) In regressu a processione.

In regressu post processiones absolutas non esse locum alicui praecedentiae. n. 3359 ad 2 die 18. Junii 1695.

De Praecedentia vd.: *Processio* (Clerus); *Processio funebr.*; *Canonici*; *Processio* (regress.); *Beneficiati*; *Officiator*; *Parochus*; *Episcop.*; *Synodus*; *Vicarius gen.*; *Laici ante Clerum etc.*; *Vicarius foran.*; *Vicarii perpet.* *Basilic.*; *Abbas*; *Coadjutor Canonicor.*

PRAECONISATIO EPISCOPI.

In die anniversaria Confirmationis seu Praeconisationis Episcopi in Missa, excepta Missa de requ., addenda est oratio: *Deus, omn. fid. Pastor etc.* ex Missa in anniversario consecrationis Episcopi.

S. R. C. 14. Aug. 1858.

Vd.: *Episcopus* (electio).

PRAECONIUM.

Vd.: *Exultet*.

Cum Diaconus incipit cantare Praeconium, Episcopus et omnes surgunt detectis capitibus.

Caer. Ep. l. II. c. XXVII. n. 10.

Incepto *Exultet etc.* celebrans stabit in cornu Epistolae manibus junctis respiciens Diaconum cantantem.

Ibid. c. XXVIII. n. 3.

PRAEDICATIO.

Vd.: *Concio*.

1) Clericorum in s. Ordinib. non constit.

Potest tamen praedicationis munus ab Episcopo committi etiam Clerico, qui non sit in sacris ordinibus constitutus. Sac. Cong. Conc. die 23. Junii 1580.

Gregorius PP. XIII.

Nos praesentium auctoritate declaramus ac etiam decernimus, unumquem-

que *Societatis Jesu* ad s. Ordines non promotum praedicationis munus in vim privilegii hujusmodi exercere potuisse et posse. Vobis (*Societati Jesu*) insuper concedentes, ut etiam clerici vestri prima tonsura tantum insigniti, prout hucusque fecerunt, valeant deinceps ipsum Dei verbum ubique populo praedicare.

Romae die 20. Nov. 1584.

(Bull. r. t. II. p. 514. Ed. *Luxbg.*)

2) Clericorum in s. Ord. constit.

Regulariter facultas praedicandi non conceditur nisi sacerdotibus vel saltem constitutis in Ordine Diaconatus. Unde Sac. Congregat. in una Caputagen. 14. Decb. 1666 cuidam Clerico Andreae Sanson. aetatis annorum viginti unius licentiatum in Philosophia et Theologia praedicare volenti tempore Quadragesimae in uno ex locis dictae dioecesis et contra Episcopum ei talem licentiam denegantem ad dictam Sac. Cong. pro facultate recurrenti respondit Relata. Et quod talis facultas non sit concedenda, nisi saltem constitutis in Ordine Diaconatus, fuit expresse ordinatum in Edicto de mandato Clementis XI. publicato die 20. Januarii 1705 ibi: „Quello poi dovrà sermoneggiare, sacra almeno costituito nell' Ordine Diaconale.“

3) Episcopi et coram Episcopo.

Vd.: *Praedicatio Parochi*.

Episcopus potest praedicare in quacumque Ecclesia etiam regulari suae dioecesis, nec ab ullo potest impediri et prohiberi. Sac. Cong. Episc. et regul. die 17. Jan. 1583 apud *Barbosam* in summa apostolic. dec. verb.: Praedicare n. 1. et ad Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 4. n. 3., apud *Lezan.* in summ. qq. regular. tom. 3. verb.: Concionari n. 12. et

sint ibi presbyteri ipsi SS. Sacram. ministrare fidelibus ad illud sumendum debite praeeparatis.

Non obstantibus etc.

Datum Romae 1. Oct. 1579.

Regulares altaris port. privilegio uti non possunt, cum a s. Synodo Trid. fuerit revocatum, vd.: Orat. priv. (decr. Clem. XI. et Bened. XIV. praec. §. 29. etc.); Indult. (revoc. n. X.)

Benedictus PP. XIV.

Si Graeci velint accipere altaria portatilia ab Episcopis latinis consecrata, bene erit; sin minus, tollerentur eorum antimensia sive throni super altaria lapidea ponendi, cum celebrant.

Latinis presbyteris latino ritu in graecor. Catholicorum Ecclesiis celebrantibus, si careant proprio altari portatili lapideo, super antimensis seu throni Graecorum Sacrum facere non licet.

Constit. Bened. XIV. 26. Maii 1742 (Bull. r. t. XVI. p. 98 XVII. XIX.).

Cf.: Ritus graec. (Const. Bened. XIV.)

Regulares erigentes altare portatile et Sacrum facientes in domo privatorum, ut ibidem Viaticum ministrent Regulari infirmo absque licentia Ordinarium vel parochi, possunt censuris coerceri et ligari.

S. C. C. 20. Sept. 1689. *Messanen.*

PORTIONARIJ.

Vd.: Genuflexio cor. Episcopo (decr. n. 4595); Thuriferarius.

Canonicos Ecclesiae Gadicen. portionariis aut dimidiis portionariis ... Missas et Divina Officia celebrantibus pro Diacono et Subdiacono inservire aut alias ministrare nullo modo debere, neque sub consuetudinis praetextu, maxime si legitime praescripta non sit, ullatenus ad id cogi posse. n. 173 die 23. Nov. 1602.

PORTIUNCULA.

Vd.: Indulgentia de Portiuncula; Praefatio de Sanctis (decr. n. 5224); Jubilaeum (tempore etc.).

Tempus lucrandi et quoties?

Ordinis s. Francisci.

(Conc. Tr. c. 9. s. 21. De ref.)

Post institutum a sancto Francisco suum ordinem regularem cum plures personae desiderarent ei nomen dare, idque esset impossibile vel saltem admodum difficile, ex quo nec domum aptam nec Ecclesiam habeat, fuerunt a dicto sancto exhibitae preces abhati Benedictino montis Subasii, qui eidem concessit parvam Ecclesiam beatae virginis angelorum „de Portiuncula“ appellatam, uti habetur in celebri opere, cui titulus: Speculum vitae s. Francisci cap. 55, ibi: „fuit ergo ad Episcopum Assisii, cui dixit Episcopus: fratres, nullam Ecclesiam habeo, quam valeam vobis dare et idem Canonici responderunt. Tunc ivit ab abbate s. Benedicti de monte Subasio. Abbas vero, habito consilio cum monachis, operante gratia et voluntate divina, concessit s. Francisco et fratribus suis Ecclesiam s. Mariae de Portiuncula.“

Acquisita a s. Francisco praedicta Ecclesia, idem sanctus humillime a Deo postulavit plenariam indulgentiam pro illis, qui suorum peccatorum ex corde poenitentes, praevia confessione sacramentali, eam visitassent et a Deo fuerunt sui servi preces exauditae, ita tamen, ut indulgentiam postularet ab Honore III. summo pontifice, qui anno 1223 perpetuam concessit indulgentiam illis, qui post confessionem sacramentalem parvam eam Ecclesiam visitassent a vespere primi diei mensis Augusti usque ad vespere diei sequentis, uti legitur in secundis lectionibus breviarii Franciscani pro die 2. Augusti, ibi: „tandem intelligens

Pontifex divinam voluntatem concessit eam beato Francisco plenariam quidem et liberam ac perpetuam, sed unius dumtaxat diei naturalis cujuscunque anni, hoc est a vespere Kalendarum Augusti usque ad vespere sequentis diei, qui est anniversarius dies consecrationis supradictae Ecclesiae.“

Atque latissime comprobatur ex testimonio Petri Calfanni, qui sanctum Franciscum praedicantem audivit et dictam indulgentiam publicantem et duorum aliorum religiosorum, Benedicti videlicet et Rainerii de Aretio, qui retulerunt anno 1277 se rem totam intellexisse a patre Matthaeo de Marignano socio s. Francisci, quae omnia continentur in antiquo monumento bibliothecae Colbertinae edito a Stephano Balutio in Miscell. lib. 4. p. 491 et concordant sancti Bernardinus Senensis serm. 9. de cultu sanctissimae Trinitatis in dominica quadragesimae art. 3. cap. 2., et Antonius 3. part. hist. tit. 24. cap. 7. §. 4. cum aliis probatis historicis, quos plena manu cumulavi in discursu a me impresso primum Romae et deinde Fulginei et postmodum Venetiis anno 1720.

Tractu temporis pia quaedam invaluit opinio, quod praedicta indulgentia non esset restricta ad unam diem naturalem cujuscunque anni, a vespere videlicet Kalendarum Augusti ad vespere sequentis diei; ex authentico quippe testimonio Massei Bardi Episcopi Clusini desumebatur, summum pontificem Paulum PP. III. anno 1544, dum in civitate Perusina commorabatur, declarasse, quod christifideles cappellam Portiunculae ingredientibus quolibet die indulgentiam consequerentur, uti consequerentur Kalendis Augusti, quemadmodum plene habetur in opere octavii Episcopi Assisensis, cui titulus „Lumi Serafici di Porziuncula“,

quocirca apposita fuit super capella sequens inscriptio: „Augusti hic veniam dat tibi quaeque dies“; at instituta formali disputatione in Congregatione sanctissimae Inquisitionis: an saepe memorata indulgentia esset revera restricta ad diem supra relatam vel esset potius quotidiana? die 3. Oct. 1691 sic responsum fuit: „Facta relatione per patrem magistrum Bernardinum ordinis Praedicatorum de juribus hinc inde deductis a patribus ordinis minorum conventualium et minorum de observantia respective, super praetensa indulgentia perpetua et quotidiana tanquam concessa a Paulo III. Ecclesiae S. Mariae angelorum fratrum ordinis minorum de observantia, eminentissimi domini praedictis juribus visis et auditis dixerunt, ex hactenus deductis non constare de dicta indulgentia quotidiana perpetua et proinde abradendam seu removendam esse inscriptionem super janua capellae Ecclesiae S. Mariae angelorum Assisii, scilicet: „Augusti hic veniam dat tibi quaeque dies“ et in hujus decreti executionem abrasa fuit praedicta inscriptio, uti plene refertur ex authenticis documentis in opere edito a Pompejo Binio anno 1721, cui titulus: „la verita scoperta“ tit. 6. §. 9. et licet anno 1695 san. mem. Innocentius PP. XII. plenariam et quotidianam concesserit indulgentiam omnibus christifidelibus, qui poenitentes et confessi et sacra communione reffecti visitassent Ecclesiam S. Mariae angelorum et Ecclesiam S. Francisci sitam in civitate Assisensi, uti habetur in ejus constitutione 49. et in sequenti constitutione 50. in suo parvo bull., haec nihilominus indulgentia quotidiana plenaria in pluribus differt ab indulgentia Portiunculae, uti late ostendi in citato discursu §. 2. et me allegato prosequitur Pompejus Binus citato tit. 6. §. 11.

*Indulgentia Portiunculae fuit a summis pontificibus extensa ad omnes Ecclesias fratrum et monialium ordinis S. Francisci juxta apostolicas constitutiones relatas apud Lantuscum in theatro regularium verb. „indulgentia“ et apud Wadingum in Annal. ad annum 1223. n. 3.; cumque pius mos inoleverit pluries ingrediendi et visitandi tam capellam Portiunculae sitam in Ecclesia S. Mariae Angelorum, quam reliquas Ecclesias ordinis fratrum S. Francisci a vespere Kalendarum Augusti usque ad vespere sequentis diei sub obtentu dictam indulgentiam lucrificandi quolibet ex dictis ingressibus, idque Episcopo Labacensi difficile visum fuerit, ex quo indulgentia concessa illis, qui aliquam Ecclesiam certis diebus visitant vel aliud pium opus peragunt, non acquiritur nisi semel dumtaxat in die, querela Episcopi delata ad hanc sacram Congregationem „pergunt fratres ordinis S. Francisci reformatorum provinciae Carniolae populo persuadere indulgentiam pro die 2. Augusti de Portiuncula nuncupatam eorum Ecclesiam visitantibus concessam toties, quoties eadem die lucrificari posse“, sac. haec Congregatio die 17. Julii 1700 post auditas informationes procuratoris generalis censuit: *servandum esse solitum.**

Hisce minime obstantibus nonnulli parochi tam publice quam privatim asserunt saepe memoratam Portiunculae indulgentiam acquiri quidem a visitantibus Ecclesias ordinis S. Francisci a vespere Kalendarum Augusti ad vespere diei sequentis, sed semel tantum in dicta die, ita ut toties repetitus eadem die accessus ad memoratas Ecclesias ingredientibus et visitantibus non prosit, ut pluries in eadem die indulgentiam lucrentur et hujus sac. Congregationis responsum, quo dictum fuit, *servandum esse solitum*, sic interpretantur, ut relationem habeat

non ad acquisitionem indulgentiae pro quolibet ingressu in Ecclesiam, sed ad consuetudinem, juxta quam non acquiritur, nisi semel dumtaxat in die indulgentia concessa visitationibus certis diebus determinatam Ecclesiam vel aliud opus pium peragentibus; cumque haec interpretatio nimis absona videatur ordini S. Francisci, tum quia decretum de lucrificanda semel dumtaxat in die indulgentia concessa visitantibus Ecclesiam certis diebus editum fuit die 7. Martii 1678 et eo minime obstante sac. haec Congregatio noluit deferri quaerimoniis Episcopi Labacensis, qui patres reformatos accusaverat, quod falso persuaderent indulgentiam Portiunculae posse lucrificari a christifidelibus toties, quoties die 2. Augusti ipsorum Ecclesiam visitassent, uti colligitur ex decreto supra memorato edito die 17. Julii 1700, tum quia, cum indulgentia Portiunculae prosit etiam animabus defunctorum juxta literas apostolicas san. mem. Innocentii XI. impressas apud Mattheuc. in Official. Curiae cap. 26. n. 7., nil prohibet, quin eadem indulgentia pluries eadem die applicetur modo pro una, modo pro alia anima in purgatorio existente, hinc est, quod instante procuratore generali ordinis S. Francisci minorum observantium, ut aliquando dissentionibus finis imponatur, disputandum in praesenti proponitur et declarandum:

An decretum hujus sac. Congregationis editum die 17. Julii 1700, quo dictum fuit: „servandum esse solitum“, ita sit intelligendum, ut indulgentia Portiunculae acquiri possit a Christifidelibus a vespere Kalendarum Augusti ad vespere diei sequentis non semel, licet pluries debitis intercedentibus requisitis Ecclesias ordinum S. Francisci pluries visitaverint, sed toties, quoties easdem Ecclesias dicta die debitis intercedentibus requisitis visitaverint?

S. C. C. resp.: Servetur Solitum.
Die 20. Nov. et 4. Dec. 1723.

POSSESSIO CANONICI NOVI.

Vd.: *Installatio.*

POSTCOMMUNIO

(mutanda in missis de comm. Virg.).

Vd.: *Oratio* (mutatio; decr. n. 4909).

POSTERGALE.

Cf.: *Sedes.*

Canonicis Metropolitanae Turit. celebrantibus non licet sedere cum postergali in Ecclesia Cathedr. n. 3687 ad 3 die 26. Apr. 1704.

PRAEBENDA.

1) Cui conferenda?

Vd.: *Canonicatus.*

2) Mutatio.

Vd.: *Canonici* (Praeced. inter se).

Praebendas Diaconales et Subdiaconales in Cathedrali (Aesina) non potuisse mutari in presbyterales sine auctoritate Sedis Apostol. n. 1346 die 11. Nov. 1641.

PRAEBENDARII.

(Praecedentia.)

Cf.: *Almutia.*

Non licet Praebendariis Cathedralis vel Collegiatae in processionibus funeralibus divisim uti singulis intervenientibus absque Canonicis deferre almutias et praecedere rectoribus Ecclesiarum curatarum. n. 2885 ad 2 die 6. Maii 1679.

Praebendarii quicumque, ne soli unquam cum cruce et almutiis (etiamsi mortuus Cathedrali vel Collegiatae sub-

jiciatur vel in ea sepeliatur) ad funus accedant sed adhibitis tantum Canonicis Capitulum legitime repraesentantibus; Capitulum autem Cathedralis vel Collegiatae insignis in eo in casu per sex ad minimum Canonicos repraesentari debere, aliarum autem Collegiatarum per quatuor. n. 2885 ad 3 die 6. Maii 1679.

PRAECEDENTIA.

1) Inter Clericos.

Vd.: *Canonici; Parochus; Vicarius Gener.; Protonotor.; Processio* (Clerus etc.).

2) Controversiae de ea quomodo et per quem componantur?

Praecedentiarum Controversias in funeralibus et processionibus componere potest Episcopus brevi manu, summarie et de plano ac sine strepitu et figura Judicii. Sac. Cong. Conc. testibus *Franc. Leone* in Thesaur. Fori Eccles. part. 1. cap. 8. n. 18.; *Campan.* in diversorio Juris Can. rub. 12. c. 13. n. 120.; *Armend.* in addit. ad recop. Legum; *Navarrae* lib. 1. tit. 14. l. 24. §. 31. de process. n. 10.; *Modern. Hispan.* de Regia protect. tom. 1. p. 2. c. 9. n. 15.; *Lezana* in summ. qu. Regul. tom. 3. verb.: Episcopus quoad Regulares n. 13., et *Barbosa* in Summ. Apostol. dec. verb.: Praecedentia n. 1. Praestat haec adnotare, quod *Pignatell.* t. V. consult. per tot. sub n. 83. tradit in haec verba: „Prae caeteris (in materia praecedentiae) juvat transactio, quae observanda est. Cum enim fiat pro bono pacis, praesertim inter Ecclesiasticos, super hujusmodi praeminentiis, servari omnino debet, ut ... semel ac iterum firmavit Rota apud Seraph. decis. 22. et 81. per tot. Qua obligantur etiam successores, quando apparet innitam fuisse bona fide super re quam maxime dubia et ad extin-